

deretur, ipse vibrares. Quid quum solatium fessis, aegris opem ferres? Non tibi moris tua inire tentoria, nisi commilitonum ante lustrasses; nec requiem corpori, nisi post omnes dare. Hac mihi admiratione dignus imperator non videretur, si inter Fabricios et Scipiones, et Camillos talis esset. Tunc enim illum imitationis ardor, semperque melior aliquis accenderet. Posquam vero studium armorum a manibus ad oculos, ad voluptatem a labore translatum est; postquam exercitationibus nostris non veteranorum aliquis, cui decus muralis aut civica, sed Graeculus magister adsistit, quam magnum est, unum ex omnibus patrio more, patria virtute laetari, et sine aemulo, ac sine exemplo secum certare, secum contendere: ac sicut imperat solus, solum ita esse, qui debeat imperare!

XIV. Nonne incunabula haec tibi, Caesar, et rudimenta, quum puer admodum Parthica lauro gloriam patris augeres, nomenque Germanici jam tum mererere, quum ferociam superbiamque Parthorum ex proximo auditus magno terrore cohiberes? Rhenumque et Euphratrem admirationis tuae fama conjungeres? quum orbem terrarum non pedibus magis, quam laudibus peragrares? apud eos semper major et clarior, quibus postea contigisses? Et neendum imperator, neendum dei filius eras, Germaniam quidem cum plurimae gentes, ac prope infinita vastitas interjacentis soli, tum Pyraeneus, Alpes, immensique alii montes, nisi his comparentur, muniunt dirimuntque. Per hoc omne spatium quum legiones duceres, seu potius (tanta velocitas erat) raperes; non vehiculum unquam, non equum respexisti. Levis hic, non subsidium itineris, sed decus, et cum ceteris subsequebatur: et cujus nullus tibi usus, nisi quum die stativorum proximum campum alacritate, discursu, pulvere attolleret. Initium laboris mirer, an finem? Multum est, quod perseverasti; plus tamen, quod non timuisti, ne perseverare non posses. Nec dubito, quin ille, qui te inter illa Germaniae bella ab Hispania usque,